



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 8. Quid dicendum de vnanimi consensu Patrum, & Doctorum: An
inquam errare possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

§. VIII.

Quid dicendum de unanimi consensu Patrum, & Doctorum, an. inquam, errare possit.

- 1 Idem dicendum videtur de his, ac dictum est de generali Concilio.
- 2 Proponitur obiectio.
- 3 Fit satis.

1 **V**idetur idem esse dicendum, ac diximus de Conciliis. Si enim consensus Doctorum sumatur ante approbationem Pontificis, etsi de facto nunquam erraret, certe errare potest, & a Pontifice emendari. Quia omnes Doctores, secluso Pontifice, non sunt regula infallibilis veritatis. Ergo a veritate deviare possunt. Accedente autem approbatione Pontificis, nemini Catholicorum dubium esse potest infallibilis veritatis esse.

2 Dices Ecclesia universalis errare non potest, etiam ut distincta a Pontifice, quia in solo Pontifice non potest Ecclesia, quae est mater veritatis, residere: sed si univertitas Doctorum errare possit, omnes etiam fideles possent errare hoc autem est impossibile. Ergo impossibile est univertitatem Doctorum errare posse. Minorem probo; quia id credere tenentur fideles, quod Doctores unanimi consensu docent: sed Ecclesia non tenetur credere nisi vnum. Ergo quod univerti Doctores docent, infallibiliter verum est. Et confirmo. Ecclesia univertsa non potest a veritate deflectere; siquidem promissus est illi Spiritus veritatis. Ergo nec eius Doctores, siquidem ab eorum doctrina ipsa omnino dependet.

3 Respondeo Ecclesiam univertalem, etiam ut distinctam a Pontifice, errare non posse, neque etiam univertos Doctores, non quia ipsis Spiritus sanctus immediate assistat, & sine regula veritatis, sed quia hoc pertinet ad specialem Dei providentiam, qui immediate assistit Pontifici, ex cuius assistentia facit, ac Doctores omnes quorum consilio, & doctrina vitur in controversiis fidei, desistant, dati sunt enim hi Doctores Ecclesiae, tanquam oculi humano corpori, ut ipsam illuminent, & ostendant, quid verum sit, & fidei conforme.

PUNCTUM VI.

In quonam subiecto fides divina resideat.

- 1 Residet potentia intellectiva, & est habitus practicus, & speculative.
- 2 Alia est fides perfecta, alia imperfecta, alia vivax, alia mortua.
- 3 Ad fidei assensum aliquis habitus in voluntate requiritur.
- 4 In Angelis, & in nostris primis parentibus, cum primum producti sunt, resedit fides Dei unius, & trini.
- 5 Proponitur quedam obiectio, & fit illi satis.
- 6 In damnatis nulla est supernaturalis fides.
- 7 In beatis neque quoad habitum, neque quoad actum fides residet.
- 8 Secus in animabus purgatorij.
- 9 In haereticis non manet fides.

1 **P**remittendum est fidem esse habitum supernaturalem inherentem potentiae intellectivae, siquidem ratione illius assentitur intellectus iis, quae divinitus revelata sunt, ut constat ex pluribus locis sacrae Scripturae, ad Hebr. 11. *Fide intelligimus apta esse sacula verbo Dei.* & 2. ad Corint. 10. *Captivans intellectum in obsequium fidei,* & alibi. Cum autem revelata alia sint operabilia, alia cognoscibilia tantum, habitus fidei & dici potest practicus, & speculative. Speculativus namque dicitur quatenus inclinat ad assensum mere speculativum, id est, rerum cognoscibilium tantum, ut in assensu Deus est trinus, & unus. Practicus vero nuncupari potest, quia inclinat ad assentiendum circa res aliquas operabiles, ut in hac propositione: *Caste vivendum est: temperate est comedendum: iustum est hominibus benefacere,* &c. sic Caietanus 2. 2. q. 4. art. 2. & Bannes ibi, cum D. Thom. Valent. disp. 1. qu. 4. punct. 1. & communiter.

2 Secundo praemitto, fidem aliam esse perfectam, aliam imperfectam, aliam mortuam, aliam vivam, aliam informem, aliam formatam. Dicitur fides imperfecta, mortua & informis, quae scionta est a charitate, quae est vita animae. Perfecta, vivax, & formata, quae charitate decoratur. Aduerto tamen fidem sciontam a charitate, non dici imperfectam, quia in se ipsa res aliqua imperfecta sit, est enim habitus supernaturalis perfectissimus, & omnino immutatus, sed quia caret perfectione, ad quam ordinatur: cum enim fides ordinetur ad beatitudinem, & sine charitate illam consequi non possit, efficitur sane sine charitate fidem hoc modo imperfectam esse. Qua ratione

sequitur Ecclesiam univertalem errare: tum quia omnes illi Patres non sunt Ecclesia univertalis, etiam si univertalem Ecclesiam repraesentent, tum quia non repraesentant illam, nisi ad investigationem rerum fidei, & illarum assensum, non ad errorem. Quare errantes Patres illi possunt a Pontifice emendari, & reliqui fideles in fide sustineri. Vnde non sequitur aduersus Ecclesiam Dei portas inferi praevallere; sic docent Caietanus in tractatu de auctoritate Pontificis, cap. 9. Valencia disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45. col. 273.

Secundo. Vbi duo, vel tres congregantur in nomine Christi, ibi Christus promittit adesse, Matth. 18. vers. 20. sed ad definitionem rerum fidei, & morum, congregantur in nomine Christi omnes Ecclesiae pastores. Ergo ibi adest Christus infallibiliter, nec errant.

Haec argumento respondet Bannes supra dub. 3. concl. 1. cum congregantur Episcopi, & pastores Ecclesiae auctoritate Papae, congregantur nomine Christi, ac proinde nunquam sic errare possunt, quia si errarent, non haberent, a quo possent corrigi; quia non possunt corrigi a Pontifice; non quia Pontifex illorum caput non sit, & superior: sed quia ipse non potest illos corrigere, nisi consultatione, & examinatione facta; sed nullam certam examinationem adhibere potest, quam eam, quae est a Concilio generali. Ergo stante hac examinatione, & consultatione erronea, non datur locus correctioni. Haec solutio remota non est, quia tribuit Concilio infallibilem auctoritatem, & desinit conclusionem positam, in qua resoluimus solum Pontificem esse regulam infallibilem; reliquos vero errare posse. Quapropter aliam solutionem subiungit Bannes, inquit enim Concilium sic congregatum errare non posse errore culpabili: cum enim congregatum sit religiosa, ac pia intentione investigandi veritatem, si de facto contingat errare, eius error culpabilis non erit, & citò ab illo ex benignitate Dei liberabitur. Audo supradictum locum de efficacia orationis ad imperandum quidquid sic congregatis expediens est ad faciendum, debet intellegi, non de infallibilitate definitionis. Deinde dicit potest congregari Concilium in nomine Christi ad agendum de rebus fidei, non tamen ad infallibiliter definiendum: hoc sui muneris non est. Quod si velis de infallibilitate definitionis loqui, intelligendus es adesse ibi Christus, ut si veram definiant, Pontifex confirmet: si autem falsum determinent, repellantur, & corrigantur. Cum vero vrget non posse emendari quod sic determinatum est, quia non potest Pontifex certam examinationem adhibere. Respondeo posse emendari, vel quia definitionis infallibilitas ab examinatione facti non pendet: vel Spiritus sanctus disponit aliam examinationem loco illius subrogari saniorum, & certiorum, etsi non a tot Episcopis facta sit.

Tertio. Ante Pontificis confirmationem anathemate damnantur Concilia eos, qui ab eorum decretis dissentiant. Ergo sciantur eorum definitionem habere fidei veritatem?

Respondeo damnate anathemate, quantum est in se, si Pontifice dogma constitutum approbetur, non tamen absolute.

Quarto. Patres congregati in Concilio iudices sunt controversarum fidei, sed non sunt iudices ex aliqua auctoritate humana, cum fides sit supra naturam. Ergo ex aliqua auctoritate divina. Ergo sunt iudices infallibiles?

Respondeo Patres congregatos in Concilio & esse Consiliaarios summi Pontificis, quatenus illorum consilio vitur ad res fidei definiendas; & esse etiam iudices univertales Ecclesiae, quatenus tenentiam in rebus fidei pronuntiant, sed non sunt iudices supremi, sed dependentes a Pontificis approbatione: eorum tamen auctoritas non est proprie divina, id est, in assistentia Spiritus sancti consistens, sed est humana, & divina: humana, quatenus a Pontifice descendit; divina, quatenus ex potestate divina data Pontifici habent potestatem res fidei definiendi, non absolute, sed accedente Pontificis approbatione.

Quinto. Quia facilius est singularem personam a veritate deviare, quam Concilium aliquod univertale. Ergo decebat, ut Christus supremam potestatem, & regulam infallibilem veritatis potius Concilio seu Ecclesiae univertali, quam Pontifici resignaret. Adde sic resistam videri, siquidem potest eligere Pontificem, aut eisdem deponere, si haereticus sit, vel alio modo Ecclesiae univertali praesidiat.

Respondetur concedendo facilius esse Pontificem deviare a veritate, si ut est singularis persona spectetur, quam Concilium: at si consideretur Pontifex, quatenus pastor est univertalis Ecclesiae, difficultus esse illi a veritate declinare, imò impossibile; quia Spiritus sanctus praesidiat.

Ad confirmationem dico Ecclesiam habere ex Christo auctoritatem in illis dumtaxat casibus circa Pontificem, scilicet ad eligendum illum, & ad deponendum eisdem, quando id convenire Ecclesiae indicatur. Neque inde fit Concilium esse supra Pontificem absolute, tum quia non confert Pontifici auctoritatem, sed offert personam Christo, cui Christus auctoritatem confert: tum quia non deponit nisi in casibus specialibus, & quando Christo intelligi potest placere depositionem.

DE
ASTRO
DALAC
TON
I
E